

No. 401. 1233. 19. Sept.

Markgraf Heinrich eignet auf dem Landdinge zu Colm dem Kloster zum h. Kreuz Grundstücke, welche für 156 Mark S. erkaufte eine jährl. Rente von 10 Mark bringen.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio omnibus, quibus hoc manuscriptum fuerit exhibitum, salutem perpetuam. Quoniam per ordinationem dei nos ob hoc in principatus culmine non ambigimus esse constitutos, ut ecclesias et maxime illas, quae ratione foundationis et iure patronatus ad nostrae protectionis iurisdictionem pertinere noscuntur, pro nostra possibilitate in rebus transitoriis respectu aeternae remunerationis sollerter et utiliter promoveamus, condecens esse videtur et iustum, quatinus earum causas quasi nostras fideliter et efficaciter expediamus, et ipsarum indemnitati modis omnibus tam in posterum quam in praesenti caveamus, ut cum in hac vita membris Christi commoda providemus temporalia, nos cum ceteris fidelibus, cum defungi contigerit, excipiat requies sempiterna. Huius rei gratia notum sit tam praesentis quam futuri aevi hominibus, quod Henricus cognomento Smalth accedente consensu omnium heredum suorum dominicale suum quod habet, quatuor mansos et dimidium cum prato et silva adiacente et duabus areis in villa Lvbeziz^a) et quatuor mansos in Nuendorph^b) cum pratis et ceteris pertinentiis suis ecclesiae sanctae Crucis prope Misnam pro centum quinquaginta ex sex marcis argenti distraxit, affirmans et fideliter promittens circa aestimationem decem marcarum argenti singulis annis venditam valere proprietatem, quam et nobis assentientibus omnibus heredibus suis in provinciali placito nostro Cölme resignavit, et nos ipsam hereditatem sollempniter et legitime venerabili viro domino Walthero sanctae Crucis praeposito sub nomine ecclesiae suae iure proprietario perpetuo possidendam assignavimus. Sane ut ecclesia iam saepe dicta bona praemissa quae iuste comparavit, sine contradictione et perturbatione queat perhenniter possidere, ipsorum contractum de hoc privilegio nostro confirmavimus cum astipulatione testium, quorum haec sunt nomina: Cönradius episcopus Hildensheimensis; Cönradius praepositus de Wrcin, Martinus praepositus de Müleberch, Henricus scolasticus de Wrcin, Henricus prior de Cella sanctae Mariae, Arnoldus cellerarius, Henricus dapifer de Bvrne, Henricus de Chnüssin, Hermannus de Zicherowe, Albertus burgravius de Dewin, Sifridus de Mvgelin, Wernherus de Marus, Arnoldus et Magnus fratres de Zbore, Vlricus de Nozzin, Echelolphus de Lizowe et alii quam plurimi anno gratiae M°.CC°.XXXIII°.XIII°. Kalendas Octobris indictione VI^a. In provinciali placito nostro Cölme facta sunt haec eodem loco et die episcopo Cönrado Hildensheimensi verbum crucis contra Kattaros promovente.

Nach dem Orig. im Archiv des Proc.-Rentamts zu Meissen mit dem an seidenen Faden hängenden sehr schadhafteu Siegel des Markgr. Heinrich.

Im Auszug in C. F. Reinhard diss. de tit. com. palat. p. 10.

a) Löbschütz, Par. St. Afra. b) Naundorf, Par. Zehren.